



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Illvstrissimo Domino D. Honorato De Chavnes Dvcī Ac Pari Franciæ, Primo  
Regni Mareschallo, Et Alverniæ Proregi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**



ILLVSTRISSIMO DOMINO D.  
HONORATO  
DE CHAVLNES  
D V C I  
AC PARI FRANCIAE,  
PRIMO REGNI MARESCHALLO,  
ET ALVERNIAE PROREGI.



VOD primum à nobis pro-  
diit de rebus Geographicis cor-  
pus, VIR ILLVSTRISSIME,  
excepisti tam humaniter, eaque amoris  
significatione, ut reliqua venire festina-  
rent in partem benevolentiae tue, plusque  
oculos tuos, quam publicam lucem ambi-

ā iij

EPISTOLA.

rent. Quamquam enim in te incidisset & grauiter affectum corpore & districtum grauioribus Regni curis, quas in te numquam morbus abrupit, eam tamen in te vultus alacritatem deprehendit, ut demum intelligeret tam sapienter ab Antiquis dictum esse quam verè, in Heribus mentem omnia peragere, magnos viros & illustres non habere corpora, nisi videantur ab hominibus, & colantur. Venit igitur ad te volumen alterum, quo pars Orientalis Europæ incumbit percurrenda nobis, & maiori quidem mole quam primum, tum quia in manibus nostris ex aspectu tuo munera creuerunt, tum quod sub auspiciis tuis iam facti audaciores plus terrarum emetiri & lustrare conati sumus. Quas tamen regiones subiicimus hoc altero corpore, aut agno-

EPISTOLA.

uere virtutes tuas , aut colunt pruden-  
tiam singularem , aut reformidant gene-  
rosum robur familiæ , aut in eam conue-  
here parant dignitates , quibus maiores  
Christianus orbis non habet.

Prima sese in conspectum dabit GER-  
MANIA , quam proximis bisce diebus fæ-  
dere percusso coniunctam nobis a quoire  
percurres animo : quoniam spectanti plus  
afferet voluptatis facta consiliis tuis So-  
cia , & pars iam Francicæ ditionis , quam si  
deformata incendiis miserabilem obiice-  
ret aspectum Hostis , & latioribus terminis ,  
hoc est maioribus ruinis rud eribusque cir-  
cumscripta .

Offeretur tibi deinde SVECORVM  
ditio , quorum armis usi sumus , illi consi-  
liis nostris magna perfecere : quanti autem  
fecerint consilia tua hoc bello flagrante

EPISTOLA.

Ludouicus Iustus, huicque affixus à Deo  
Magnus ille Genius, quo prudentiorem  
adhuc Gallia vidi neminem, fatebitur  
quicumque nouerit hunc amicitiam tuam  
ambiuisse atque fuisse sollicitius, illum  
quoties tecum locutus est (faciebat autem  
id sape, & perquam familiariter) te pa-  
rentem appellasse suum, dignumque iu-  
dicasse cuius in sinum arcana omnia sua  
deponeret amantissime.

POLONIAM quoque in hoc opere  
contemplaberis, quæ iam omni exceptione  
maiores virtutis tuæ testes habet, Regi-  
nam Augustissimam, atque illusterrimos  
Regni Sarmatici Palatinos.

Percurses item animo atque oculis fir-  
missimam OTTOMANICI IMPERII  
partem, cuius in perniciem apud nos filius  
tuus adolecit, iuuenis prorsus exquisitæ  
inde-

EPISTOLA.

indolis, quem in sacram Melitensium  
Equitum Militiam adscribi voluerat  
Mater, pietatis Christianæ atque forti-  
tudinis magnum exemplar, ut memoriam  
excitaret proaui sui, quem Sidone in bel-  
lo sacro morientem totus orbis Christianus  
luxit. Sed eius ætatem secundo genitus  
loco anteuertit, & quam pollicitus erat  
Ecclesiæ tutelam, maluit ferro manuque  
præstare, quam verbis, & eloquentiâ.  
Et nisi me fallit primogeniti tui fortitudo,  
bellis hisce summâ eius gloriâ, atque vir-  
tute profligatis, & ardore nostro milita-  
ri in Turcam conuerso, perget in commu-  
nem Christianorum hostem, facietque suam  
pietatem illam bellicam, quam accepit à  
maioribus suis hæreditariam.

ITALIA denique quid tibi debeat  
norunt omnes pietatis tuae, atque reli-

ē

EPISTOLA.

*gionis totidem testes quot Galli. Huius  
certè famam Europæ finibus contineri  
non patietur, sed in omnibus mundi  
partibus occinet, & laudabit*

Deditissimus tibi PHILIPPVS BRIETIUS  
Societatis Iesu.